Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36491
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

intulit. nunc in subsequentibus nequitiam antiqui hostis ostendit.
ut bonus famulus et auditis prius virtutibus domini sciret quantum dilige
ret. et cognita post calliditate diaboli disceret quantum timeret.
Unde bene et per prophetam dicitur: Leo rugiet. quis non timebit. Dominus deus locutus est.
quis non prophetabit. Postquam enim virtus ei sui conditoris innotuit. nequaquam
illum vires adversarii latere debuerunt. ut eo magis defensori suo
se humilius subderet. quo hostis sui nequitias subtilius agnovisset.
protectoremque suum tanto ardentius quaereret. quanto terribiliorem hostem
cognosceret quem vitaret. Certum quippe est. quia minus diligit erep
torem suum. qui minus intelligit periculum quod evasit. Et vile solatium de
fensoris putat. qui virtutem adversarii debilem putat. Unde bene
ereptionem suam domino tribuens propheta dicebat. Diligam te domine virtus
mea. apte videlicet dicens. eo te magis diligo. quo infirmitatem
propriam sentiens. virtutem meam te esse cognosco. Hinc rursum ait.
Mirifica misericordias tuas. qui salvos facis sperantes in te. quia tunc nimirum
misericordiae domini mirae apud nosmetipsos qui eripimur fiunt. cum per easdem misericordias
quam gravia fuerint pericula quae evasimus agnoscuntur. Et quia
sermone praecedenti dominus beato Iob mira opera sex. sequentium pa
tefecit. ut his auditis disceret de virtutum suarum culmine quam
humilia sentire debuisset. nunc ei cum quo hoste bellum gerat osten
ditur. et vires fraudesque illius subtilius indicantur. ut qui ad colloquium
auctoris sui perductus est. argumenta adversarii apte cognoscat.
Verbis enim sequentibus fideli famulo dominus cunctas hostis callidi
machinationes insinuat. omne quod opprimendo rapit. omne quod
insidiando circumvolat. omne quod minando terret. omne quod sua
dendo blanditur. omne quod desperando frangit. omne quod promitten
do decipit. Cuncta ergo tergiversationis eius certamina exponit
dicens. Ecce vehemoth quem feci tecum. Quem sub vehemoth nomi
ne nisi antiquum hostem insinuat. qui interpretatus ex hebraea voce
in latina lingua animal sonat. Cuius inferius dum malitia sub